



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118790**

§. 58. Controversia quædam domestica inter Lutheranos Doctores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII.  
A. C. 1601.

§. LVIII.

*Controversia quædam domestica inter  
Lutheranos Doctores.*

*Leon. Hut-  
terus in Con-  
cord. CLII.  
p. 354. &  
ep. Mar-  
bach. p. 765.*

Non minus vehemens erat inter Lu-  
theranæ Sectæ Literatos conce-  
tatio Helmstädiensis, cui occasione  
præbebat Daniel Hofmannus ibidem  
Theologiæ Professor. Hic Christum  
ubique præsentem esse pernegans, ac  
Concordiæ formulam admittere detre-  
ctans, novam factionem inter Lutheri  
asseclas procudit, simulque Lipsienses  
Jenenses & Wittembergenses Pastores,  
atque inter eos præcipue Hunnium  
circa prædestinationis articulos non si-  
ne aculeo impugnabat, eisdem expo-  
nens, quod longe magis periculosos  
errores ex Lutheri cathedra divulgas-  
sent, quam olim in Papismi tenebris  
exstiterint, necnon in eorum scriptis  
plusquam centum crassissimi errores  
Christianæ fidei recta oppositi reperi-  
rentur: His irritati Doctores eundem  
velut hæreticum vitandum declarantes,  
intentata anathematis pœna ad suas  
partes nequicquam trahere nitebantur:  
Paulopost Hofmannus Anno Domini  
millesimo quingentesimo nonagesimo  
oçtavo disputationem *de Deo & Christo*  
habebat, inter alias theses exponens,  
quod

quod Philosophia sit *deprædatrix hæresis*, *Theologiæ hostis*, *opus carnis* & *Pelagianismi rea*, necnon *Theologiæ oppido contraria* & *omnium hæresum genitrix*. Ad hæc Helmstadienses non modo Philosophicam Facultatem, sed etiam ipsum Principem, hujus Academiæ Patronum graviter esse offensum declamant, nullaque mora Guelpherbytanum Ducem questum adeunt, supplices, ut Hofmannum ad moderandum thesibus suis sensum urgeret. Annuit Dux eorum precibus, quantocius quosdam ad illum ablegans, quibus tamen Hofmannus arrogantius respondit, *se, quod tradidisset, non modo de abusu, sed etiam de vero, veriore, & verissimo usu Philosophiæ intellectum velle, omnemque Philosophiam, etiam quando se in officio suo continet, in recto usu contrariam esse Theologiæ*. Nec hoc responso contentus Philosophos variorum errorum imo & hæresum postulabat. His irritati Doctores Caselium, qui apud Principem gratia plurimum valebat, instigant, ut sua auctoritate rem eo deduceret, quatenus Hofmannus ad *cantandam palinodiam* Senatus edicto compelleretur.

## §. LIX.

*Hæc controversia per publicam The-  
sibus revocationem sopita.*

Tara